Quelle: https://manuscripta.at/?ID=9067
Copyright: Melk, Benediktinerstift

patris cooperante spiritu sancto per mortem propriam mundum
uiuificasti. libera me et munda me miserum per
hoc sacrosanctum corporis et sanguinis tui myste
rium a cunctis iniquitatibus et uniuersis malis
meis. et fac me tuis semper obedire mandatis.
et a te numquam in perpetuum separari. Saluator
mundi. Qui cum deo patre et spiritu sancto uiuis et regnas deus per.
Domine sancte pater omnipotens eterne deus da mihi hoc corpus et Alia.
sanguinem ihesu christi filii tui ita sumere ut per hoc
merear remissionem peccatorum accipere et spiritu sancto
repleri. quia tu es deus et preter te non est alius cuius gloriosum
nomen permanet in secula seculorum. amen. Sequitur.
Perceptio corporis et sanguinis tui domine ihesu
christe quam ego indignus sumere presumo non mihi
proueniat in iudicium et condempnationem sed pro tua
pietate proficiat mihi ad salutem mentis et corporis. amen.
Panem celestem accipiam et nomen domini inuocabo. Sequitur.
Verbum caro factum est et habitabit in nobis. Cum sumit.
Corpus domini nostri ihesu christi sit mihi (pro) in remissionem Dicat.
omnium peccatorum meorum. et conseruet corpus et
animam meam in uitam eternam. amen. Ad calicem
Quid retribuam domino pro omnibus que retribuit mihi.